

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

laus, quod non penitus extinctus sum. Mitto etiam tibi scriptum germanicum, quod contra Sturmium Dreslæ adbravi. Latinum enim, ex quo translatum est, mittere non possum, quod ante meum discessum nondum impressum erat. Spero autem me intra paucos dies accepturum exemplum. Hoc vero postquam legeris, D.D. Ludovico Gremio exhibeas, quem propter summam nuncii festinationem propria Epistola salutare non potui. Et si opus erit, apud eundem me excules, quod ipso inconsulto hunc laborem susceperim. Spero autem, imo confido, me ei rem minimè ingratam fecisse. Et habebit ipse occasionem, dehortandi Sturmium ab hoc labore, quem exiguo cum honore nominis sui suscepit. Si ingratum non esse intellexero, curabo Tubingæ, latinè & germanicè quamplurima exempla Typis excudi, & ad vos perferri, ut vestri cives plebei sciant, cujusmodi vir sit & Religionis Christianæ propugnator Sturmus. Benè & feliciter vale. Raptim Heidelbergæ, 16. Januarii, 1581.

Uxori Tuæ honestissimæ, D. D. Erasmo filio & amicis omnibus reverenter salutem adscribo.

Tuisimum

Jacobus Andreæ, D.



XXXVI.

Quos perpeffa sit Ecclesia & schola vestra paroxifmos, ex D. M. Hulderici, filii tui, literis copiofe & eruditè scriptis, intellexi, idque non fine dolore. His accesserunt, quæ ex scriptis D. Jacobi Andreæ, & D. Pappi contra Sturmium mihi communicatis, cognovi. Ac re vera certamen, quod omitti ac finire dudum poterat, nisi essent, qui oleum, quod ajunt, camino adderent. Ad summum ergò fastigium perveniffe hic conflictus videtur & spes est, inventum iri rationes, quibus finis tandem imponatur conflictui, Pappiftis optatiffimo, qui hæc polemica avidiffimè comparant & legunt, nostrisque objiciunt mutuas criminationes. Quod nuper epifcopum nostrum Bafilienfem feciffè narrant, qui audierunt. Spero autem fuffeuram declinationem huic morbo, ad extrema redacto & denique fanitatem post fanata vulnera. Heidelbergenfis scholæ & Ecclefie statum tranquillum esse D. Philip-pus significavit, eoq; nuncio me vehementer refecit & recreavit. Opus providentia DEI fingulare arbitror, quod hæfitans Edo, ob suam potius intemperiem, quam dubiam confessionem dimiffus fit, idq; ab Academico ordine. Gaudeo, & D. Andreæm rebus in Saxonia feliciter confectis domum reversum. Porro quod de nostrorum cum civitatibus tribus confederatis fcriptione ad vestrum Magistratum scribis, mihi planè ignotum hætenus fuit, five quod diffimularint nostri sponte, five quod,

quod non omnibus constiterit, adde quod domi desidenti ob valetudinem, raroque in publicum prodeunti pauca innotescunt. Verisimiliter tamen colligo, ut cum nostri propter Episcopi Basiliensis suspecta molimina, consilia cum tribus reliquis confederatis civitatibus necessariò communicent, quod Tigurinis authoribus literarum cohortatoriarum ad amplissimum Senatuum vestrum propositarum sunt locis civitatibus, inquam consenserint nostri, non existimantes ita multum referre. Neque enim sunt, cum apud nos tum alibi, qui licet in ipsis capitibus formulæ nihil desiderent, anathematismis tamen offendantur. Est autem hæc de re etiam, ubi inquisivi, altum silentium. Porro quis valetudinis tuæ in præsentia nunc status sit, familiarum item universarum, cupio cognoscere, & qui valeat inprimis D. Georgius gener, cui corpus salubre & longævitatem ex animo præcor. Commendo te, vir ornatissime, gratiæ DEI & me tuis precibus. Salutat D. Coccius amanter & reverenter. Salvos jubeo synagagas tuos, totumque presbyterium. Basil. 5. Mart. A. 81.

T. ex animo

Simon Sulcerus.



XXXVII.

Reverende & clarissime Domine Compater.

Accepi literas tuas, 4. Junii datas, in quibus mentionem facis ante ad me scriptarum literarum, per senem, qui meas pertulerat, refers Muschleri ingratitude & sceleratas molitiones, mittis theses disputationis, tibi de bonis operibus propositarum & offers benevolentiarum tuarum studia. Cuperem sanè copiosè, de statu meo præsertim, rescribere, si per occupationes, & podagræ dolores, qui hoc die me invaserunt, liceret. Cum autem minus liceat, tantum hoc significare volui, quod has literas dicto die acceperim. De quibus autem mentionem facis, quasi per senem mearum latorem missis, illas non accepi. Nec enim senex ille hic interea fuit, quod ego quidem sciam. De Andrea Muschlero me rectè monuisti. Frater ejus, Joannes Muschlerus, uno aliquo puero comitatus, ante octiduum venerat, quam tuas literas accepi. Uterque ornatus erat testimonio Magistrorum quorundam vestrorum. Accepitis tuis literis Johannem accersitum rogavi, an conscius esset fratris sui Andreae perfidiæ. Pernegavit, & se ipsum discessurum, ne allocutum quidem esse dixit. Comitum ejus seorsum examinavi, qui confessus est, rem se ita habere, ut literarum tuarum significarent. & Andream unà cum fratre Johanne & secum usque ad Donaverdam pervenisse, inde digressum ad parentem. His auditis, objur-

M m m m

gavi